



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 229. Ad quid teneatur, qui falsò detraxit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

verbis uti, v. g. dicere se malè locutum esse, se fecisse injuriam, se deceptum esse, nempe errore practico, homines sæpe mentiri talia dicendo, se non posse quidquam asserere de alterius crimine &c., si tamen audientes adverterent hoc fieri ideo, ut reparetur fama, meliùs esset aliter compensare, v. g. laudando in aliis virtutibus, vel quovis alio modo ingenerando bonam opinionem de persona læsa, aut etiam honorando, uti habent *Less.* & *Lugo* d. 15. n. 33., ea enim nunc est calliditas hominum, ut suspicentur ejusmodi retractationes, in quibus aliquis dicere non audeat se dixisse falsum, fieri tantùm eo fine, ut satisfiat conscientix, hinc pergunt credere fuisse verum: interim tamen debet detractor manere paratus ad revocandum, prout salvâ veritate poterit, si hoc fuerit necessarium ad reparationem famæ læsæ. Videri possunt *Dian.* p. 3. t. 5. R. 30. & p. 11. t. 6. R. 57. *Dicast.* d. 12. à n. 261. *Steph.* t. 4. d. 6. n. 44. *Spor.* in *Dec.* t. 5. c. 4. n. 92.

1248 Q. 229. *Ad quid teneatur, qui falsò detraxit.*  
 R. Teneatur, per se loquendo, retractare tali modo, qui sit efficax ad reparandam stabiliter famam alterius, etiamsi deberet dicere se mentitum esse, idque juramento firmare, etiam adhibitis testibus, aliisque quamvis extraordinariis mediis, ita cum communi *Lugo* à n. 24. *Ills.* t. 4. d. 2. n. 109., partim contra *Fabrum*, qui dicit non teneri addere juramentum, partim contra utrumque *Nav. Rodriq. Dicast.* n. 259. *Spor.* n. 89., qui dicunt non teneri adhibere testes, partim contra *Less.*, qui dicit non teneri nisi ad summum adhibere juramentum & testes, non autem alia extraordinaria media, quod etiam videtur innuere

nuere *7lls.*, sed ratio nostra est, quia diffamatus habet jus ad famam suam recuperandam, ergo diffamans tenetur adhibere media necessaria ad illam reparandam, ergo si ordinaria non sufficiant, tenebitur etiam ad extraordinaria, malitiae enim suae imputare debet, quod sibi imposuerit illud onus. *Dixi 1.*, per se loquendo, nam possunt esse causae excusantes, v. g. si deberet ipse longè majorem infamiam subire: attamen non excusatur, si deberet subire tantum æqualem, quia æquius est, ut nocens quam ut innocens patiatur illud damnum, secundum dicta n. 368. *Dixi 2.* Ad reparandam stabiliter, nam si Auditores primò crediderint retractanti, postea autem mutatâ mente redeant ad primam malam opinionem, tenebitur iterum hanc tollere, prout poterit, quia hoc damnum famae adhuc respicit primum delictum veluti sui causam, uti rectè *Lugo n. 28.*

*Obji.* Per juramentum dedit majus motivum, ut credatur retractationi, quam per locutionem suam dederit, ut crederetur detractiōi, ergo si audientes non credant juramento, non est detractiōi imputandum sed audientium malitiae. *R.* Imputandum esse principaliter detractiōi præteritæ, partialiter tamen etiam malitiae audientium, qui ideo etiam obligantur deponere malam opinionem: cum quo stat, quod detractor pergat obligari ad hoc ipsum procurandum, cum opinionem illam injustè causarit.

*Q. 230.* Ad quid teneatur *Cajus*, qui, ut impedi- 1249  
ret *Titium* ab officio, quo erat indignus, publicè diffamavit eum, cum satis fuisset diffamare privatim. *R.*  
Non tenetur reparare damna *Titio* ideo causata,

Ddd 5

quodd